



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 201. Et Pilatus adiudicavit fieri petitionem ipsorum. v. 24.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

tuam & crucem tuam: Ego in his malis te Dominum meum adoro & opto, ut totus mundus pro his toleratis te incipiat honorare & amare. & quidem semel ad minimum solemnitate aliqua, uti Colonienfes faciunt sua solemnissima Theophoria Feria vi. post Dominicam in Albis, qua celebrant maxima maiestate Festum Clavorum & Lanceæ & c. instrumentorum Tuæ SS. Passionis. Ita decet Christianos esse gratos.

§. 201. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem ipsorum. v. 24.

Iam quintum & vltimum ad impietatem descensum facit Pilatus, nempe, plane consentit iniquitati. O crimen! ô homicidium! imo Deicidium, reum non esse & condemnare: non confessum nec conuictum pœne capitali, imo crucis ignominiosissimæ subijcere? O Pilate, ubi est constantia tua? ubi iustitia? ubi æquitas gentium & imprimi Romanorum? siccine per te perditur, quæ per totum orbem terrarum in Romanis laudabatur iustitia? & compensabatur ab altissimo dato dominio populorum? siccine iam per te despoliabitur & in nihilum redigetur tam pulchra, tam sumptuosa, tam splendens & magna orbis terrarum ciuitas Roma? O malum præsidem qui missus à Romanis ad prouinciam regendam iunxit te regi ab iniquis Prouincialibus & prouinciam perdit grauando & Romanam Remp. & Iudæam irâ Omnipotentis, dum petitionem tam manifestè iniquam annuit fieri. Non enim Deus magis curat lapides & ligna mundi, quam virtutes & sapientiam, ut non magis zelet, si hæc contendantur, quam zelant homines si sui mari & ianua perfringantur. Sed hæc oculis mundi modo sunt abscondita: postea aperienda, quando Romani prius vltionem facient Duce Vespasiano & Tito de Iudæorum gente & vrbe, & postea Barbari populi vltionem sument de Romanis Imperium illorum peruadentes & lacerantes, uti fecerunt, Franci, Wandalij Alani, Picti, Hunni, Gothi, Longobardi, Saraceni, Parthi & c.

§. 202. Dimisit autem eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant. v. 21.

Describit hic Euangelista personam Barabbæ, ut maior appareat Iudæorum malitia, qui hunc talem, Christo præposuerint. Interpretatur autem Barabbas filius patris. At cuius patris? certe non valde boni; sed potius eius, qui sua indulgentia fecit filium suum audacem, seditiosum; percussorem, qui virgæ & seueritati in iuuentute pepercit; talis patris, & talis matris iste filius fuit iste tamen (O indignam rem!) præ filio